



Ivlius ex nobili familia Pflugiorum in Saxonia natus est. Is cum felici ingenio esset præditus, à pueris operam literis dedit, & prima artium funda menta in patria iecit. Postea sese ad aliquot academias contulit, & breui magnam sibi eruditionem cōparauit. In studio quoq; Theologico adeò profecit, ut etiam doctissimis Theologis comparari posset. Accedebat & uitę integratas, cum singulari eloquentia. Itaq; apud Catholicę religionis principes magnam sibi autoritatem cōparauit, & saepius ipsorum consilijs, cum de religione ageretur, interfuit. Cum etiam Carolus Cæsar anno 1541 Ratisbonæ comitia celebraret, & de religione collo quium doctorum uirorū, de controversiis religionis articulis, celebraret, hunc Iulium, Eckium, & Gropperum ex una parte, ex altera Melanchtonem, Buc erum, & Pistorium interloquentes constituit. Ibi Iulius magna diligentia cum alijs contulit, & Euāgelicis plus alijs attribuit, ita ut etiam ab Eckio apud principes accusaretur. Verūm is sese honestē excusauit, & præclarum integratatis testimonium à Cæsare impetravit. Itaq; cum Numburgensis præsul obijsset, Iulius in eius locū à collegio substituitur. Verūm cum Ioannes Fridericus Saxonie elector repugnaret, & Nicolaum Ambstorfium substituisset, Iulius in possessionem uenire nō potuit. Vnde is emissis libellis ad ordines Imperij ius suum demonstrauit, & de iniuria conquestus fuit, ita ut postea Mauritius Saxonie eius causam approbaret, propinquis eum principi commendantibus. Postea quoq; cum Anno Christi 1546 denuò colloquium Ratisbonæ institutum esset, Iulius inter præsides à Cæsare nominatus interfuit, & suam doctrinam ostendit.